



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 2. Vtrum ad remissionem venialis peccati habitualis gratia
requiratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

Petr. Soto. quaest. 711. & eandem tenent alii auctores citandi in puncto sequenti, praesertim Petrus Soto lect. 18. de Pœnit. & in eius confirmationem nonnulla adduxi in 1. tom. 3. p. disp. 4. sect. 11. Et probatur primò ex generalibus locutionibus Scripturæ, adiunctis expositionibus & Patrum, & Conciliorum. Dicitur enim Psalm. 31. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Exponit autem Paulus ad Rom. 4. illis verbis significari opus illud esse diuinæ gratiæ. Glossa verò addit, sub illo peccato comprehendi etiam veniale.

1. Ioan. 1. Quod patet etiam ex indefinita, & absoluta locutione. Vnde 1. Ioan. 1. *Fidelis est, & iustus ut remittat nobis peccata nostra.* & loquitur de illis peccatis, quæ iustus quòquidie committit: hæc autem sunt venialia, vt Concilium Mileuitanum declarauit cap. 6. 7. & 8. Et, si velimus in proprietate accipere vtrumq; verbum, *Fidelis & iustus*, primum referri potest per se ad peccata mortalia, secundum ad venialia, quorum remissionem potest iustus de condigno mereri: atq; ita comprehendit Ioannes illis verbis omne peccatum, de quo ibidem dixerat. *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato.* Præterea cap. 2. addit Ioannes, *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem:* quod etiam de veniali intelligendum esse docet ibi Augustinus tract. 1. Datur ergo nobis remissio peccati venialis propter merita Christi, vt etiam docuit Bernardus serm. de Cæna Domini: est ergo opus gratiæ.

8. Præterea in oratione Dominica generatim petimus, *Demitte nobis debita nostra:* quam esse vocem iustorum propter frequentia venialia peccata, declarauit Conc. Trident. sess. 6. cap. 11. Ex hoc autem orandi & petendi modo colligitur recte, id, quod petitur, esse beneficium gratiæ: & est frequens apud Augustinum, & in Conciliis Mileuitano, & Araucano. Ex quibus etiam habemus hanc generalem regulam: Nihil quod ad pietatem & vitam æternam conferat, posse obtineri sine beneficio gratiæ: quod non solum de actionibus, seu de beneficiis, vt sic dicam, positiuis, sed etiam de liberatione ab omni malo, vel miseria declarauit Concilium Araucanicum, canone 14. & 22, sed remissio venialis peccati est liberatio à quadam miseria, & multum confert ad pietatem & vitam æternam: est ergo beneficium gratiæ. Ratio autem est, quia peccatum veniale est aliquis iniuria Dei, pro qua non potest homo suis solis viribus condigne satisfacere. Quæ ratione euertitur totum fundamentum aliarum opinionum. Auctores enim earum non satis considerarunt rationem offensæ diuinæ, quæ est in peccato veniali, & moraliter manet transacto actu, donec, vel per remissionem, vel per condignam satisfactionem tollatur. Hanc autem condignam satisfactionem nunquam ipsi probarunt posse ab homine fieri per vires naturæ, multoq; minus per solam penam inuoluntariam. Quæ omnia ex sequenti sectione magis constabunt.

SECTIO II.

Vivum ad remissionem venialis peccati habitualis gratia requiratur.

3 **D**upliciter contingit remitti peccatum veniale, vno modo simul cum mortali: & tunc non procedit questio, quia certum est necessariam esse gratiam, saltem propter remissionem peccati mortalis. Alio modo contingit remitti peccatum veniale solum per se, & sine mortali, & de hoc procedit questio: Tribus autem modis intelligi potest habitualem gratiam requiri ad hanc remissionem, scilicet antecedenter, seu præsuppositiuè, quia, scilicet, necesse est vt persona supponatur grata, vt locum habeat talis remissio: vel formaliter,

Tripliciter gratia requiri potest ad eius remissionem.

quia scilicet per infusionem talis gratiæ expellendum est tale peccatum: vel concomitanter quia nunquam datur talis remissio, quin conferatur talis gratia, licet ab illa formaliter non procedat.

Sententia Scoti, & Durandi.

Prima ergo sententia est, quæ negat requiri gratiam aliquo ex dictis modis, vt veniale peccatum remittatur. Hanc tenent Durandus & Scotus supra citati, existimant enim in eo qui habet mortale peccatum, & veniale, posse remitti veniale, relicto mortali, & consequenter sine gratia habituali vlllo modo. Sed differunt inter se, quia Durandus dicit, posse fieri hoc in hac vita, & nõ in alia, quia putari fieri per aliquem bonum motum naturalem repugnantem formaliter peccato veniali, quem motum in alia vita habere nõ potest, qui decessit in peccato mortali. Sed illud fundamentum Durandi iam reiectum est. Scotus vero putat hoc posse fieri tam in hac vita, quàm in alia. Quam sententiam tanquam magis clementem admittit Gabriel supra, & d. 16. quaest. 5. articulo tertio, dub. 2. Et eorum fundamentum solum est, quia ablatio peccati venialis fit sufficienter per solutionem alicuius pœnæ temporalis. Quod fundamentum ex vno capite reiectum est supra, & ex alio impugnabitur infra in materia de satisfactione. supponit enim satisfactionem pro pœna non esse necessariam gratiam.

3 **A**lter vero posset suaderi hæc sententia, saltè loquendo de statu huius vitæ, quia licet demus esse necessariam gratiam aliquam ad remissionem peccati venialis, non tamen videtur necessariam illam esse habituales, seu iustificantes & sanctificantes ipsam personam, videtur enim sufficere gratia excitans, & adiuuans, per quã homo sufficienter se disponat ad hanc remissionem consequendam etiam ipsa remissio sit etiã gratia & liberalitas Dei. Quod probatur, quia ad consequendum à Deo aliquem effectum gratiæ non semper est necessaria gratia habitualis, sed sufficit proportionata dispositio: Sic enim peccator per actum fidei intentum consequitur augmentum fidei. Sed in peccatore potest esse talis dispositio ad remissionem peccati venialis, quia per auxilium gratiam potest habere supernaturalem detestationem eius, vel alium similem motum, & aliunde ex parte se factus non repugnat veniale tolli manente mortali, cum è contrario possit tolli mortale manente veniali, cum hæc remissio formaliter non requirat gratiam habituales: ergo.

Ad remissionem venialis necessariam esse gratiam antecedentem, vel concomitantem. Afferri. 1.

Dico primò: Ad consequendam remissionem venialis peccati necessaria est gratia sanctificans, siue antecedenter, siue concomitanter, ita vt nullus consequatur remissionem venialis peccati, nisi vel iam iustus sit, vel tunc iustificetur. Hæc est sententia D. Thomæ hic artic. 4. & 1. 2. quaest. 37. artic. 5. ad 3. & quaest. 7. de Malo artic. 10. & in 4. dist. 16. quaest. 2. artic. 1. quaest. iunc. 2. ad 3. ibidem Paludan. qu. 1. art. 1. & Richard. art. 4. quaest. 2. & d. 21. art. 2. q. 3. Alens. & ibi Bonauenturæ art. 1. quaest. 1. Alens. 4. p. qu. 65. Soto. alias 15. membr. 3. art. 3. § 4. Soto dist. 15. quaest. 2. art. 4. Et sumitur ex Abulense in c. 25. Matthæi quaest. 711. & sequentibus: & ex Richardo de S. Victore O. p. de Differentia venialis peccati, & mortalis. Et potest aliquo modo colligi ex præcedente sectione, licet non necessario, vt iam dicam. Ratione ergo probatur hoc modo: quia Deus non remittit veniale peccatum existenti in mortali, sine vlla dispositione eius (loquimur enim nunc ex opere

D. Thom. Palud. Richard. Bonau. Alens. Soto. Abulens. Richard. de S. Vict.

Probatur ratione.

re operantis) & sic videtur per se notum: alias hoc ipso quod cessaret actuale peccatum veniale, omnino remitteretur; quia nihil est quod expectetur; si dispositio hominis necessaria non est: illud autem est maxime absurdum, & repugnat sensui totius Ecclesie, & iustitie ac perfectioni diuine prouidentie. Si autem requiritur dispositio, & actus peccatoris, vel ille est mere naturalis, vt dicebat Durandus, vel supernaturalis: prior non potest esse sufficiens, quia actus naturalis non est sufficiens dispositio ad supernaturalia dona & beneficia; alias initium salutis posset esse à nobis. Item, quia peccatum veniale, eo modo quo habet deordinationem circa finem vltimum, deordinat à fine supernaturali: ergo dispositio necessaria ad remissionem eius debet esse aliquo modo supernaturalis. Item, quia alias infideles posset consequi remissionem venialium peccatorum per actus morales contrarios: atque ita vel illam obtinerent sine meritis Christi, vel hæc merita applicarentur ad hunc effectum sine fide ipsius Christi: verumque autem satis absurdum est: quod etiam à fortiori patet ex sequentibus.

Rursum, si admittatur supernaturalis dispositio, interrogo, an sit tantum attritio, aut vera contritio: si hoc secundum dicatur: iustificabitur homo, & ita non fiet remissio sine gratia. si autem dicatur primum, illa dispositio non est sufficiens in homine existente in peccato mortali, quia vel sufficeret existitiam, vel ex gratia & liberalitate Dei: non primum, tum quia opus peccatoris non habet valorem mortalem ad vllam satisfactionem de condigno, vt sumitur ex illo i. ad Corinthios. Si charitas non habet, nihil mihi prodest, & Ecclesi. 24. Dona iniquorum non probat altissimus, neque in multitudine sacrarum propitiabitur. Et sepe alias. Tum etiam, quia existens in peccato mortali, dignus est ira diuina: quomodo ergo potest ex iustitia illum obligare ad hoc beneficium conferendum? Si vero dicatur secundum, oportet prius ostendere legem, aut promissionem de hac re, alioqui mere gratis dicitur. Deinde, qui in peccato mortali permanet, indignus est hoc beneficio, tum quia non se disponit cum debita proportione, cum non detestetur offensam Dei propter ipsum: tum etiam, quia permanet in inimicitia diuina. Sic inter homines subditus, qui Regi fecisset grauissimam iniuriam, & alias leuiore, harum veniam petendo, & nullam satisfactionem pro illa offerendo, nullam veniam consequi mereretur secundum mortalem prudentiam. Ita ergo in presenti dicendum est.

Dices: Interdum peccator per vnum beneficium gratie consequitur aliud, etiam ab statu peccati non exeat: ergo ita fieri potest in presenti. Antecedens patet, argumento supra facto de augmento fidei informis, & præterea bene vtēs minori auxilio, obtinet maius: ergo dolendo aliquo modo supernaturali de culpa veniali, poterit illius veniam obtinere; etiam si gratiam sanctificantem non consequatur. Respondetur, exempla illa non esse similia, nam in eis intercedit ex parte hominis sufficiens dispositio, vel physica, vel moralis: actus enim peccatoris non intendit fidem, vel spem informem, nisi quatenus intensior est: hoc autem modo actus est de se causa physica habitus, vel effectiua vt in acquisitis, vel saltem dispositiua, vt in infusis, in quibus propter improportionem non inuenitur efficacia. At vero operatio supernaturalis facta cum minori auxilio, est dispositio moralis ad maius auxilium, quia per se, & ex ordinatione diuina ad hoc tendit, vt homo paulatim proficiat: at vero respectu remissionis venialis peccati neutra dispositio dari potest in homine inimico Dei, vt ostensum est. Præsertim, quia remissio venialis culpæ est veluti quedam perfectio, & puritas amicitie: & ideo ex natura sua, vel secundum conuenientem ordinem supponit amicitiam.

A Solum posset quis respondere, attritionem supernaturalem de peccato veniali vi sua excludere culpam venialem absq; alia remissione, vel condonatione Dei: si enim aliqui dicunt contritionem virtute sua expellere hoc modo peccatum mortale, cur non id faciet attritio supernaturalis circa peccatum veniale? videtur enim æqualis proportio, quia, sicut peccatum mortale auertit à Deo, ad quem contritio conuertitur: ita peccatum veniale conuertit ad obiectum creatum sine relatione ad Deum, cum aliqua offensione eius, absq; auersione: detestatio vero talis peccati ob turpitudinem eius, verbi gratia, quæ est attritio, directè opponitur conuersioni peccati venialis, & virtualiter ac ex se fertur in Deum, vt in vltimum finem, per quod etiam sufficeret opponitur offensioni peccati venialis: nam, licet formaliter non conuertat in Deum, hoc necessarium non est, cum peccatum veniale non auertat. Est ergo in hac attritione sufficiens ac proportionata vis ad expellendum formaliter peccatum veniale. Et alioqui ex parte effectus non repugnat veniale expelli absq; mortali, quia non sunt necessario connexa: & de contrario sepe fit vt tollatur veniale, relicto mortali: ergo. Respondetur, etiam hunc modum expulsionis peccati venialis esse omnino falsum, & argumentum factum posse in contrarium retorqueri. Nam iuxta veram doctrinam contritio per se, & ex vi sua non expellit peccatum mortale per modum formæ physice, vt alibi ostensum est: ergo neque attritio excludit hoc modo veniale. Vnde proportio, quæ inter illos actus consideratur, non satis est ad expulsionem formalem culpæ venialis, quia in illo actu nullus est valor moralis ad satisfaciendum Deo pro quacunque iniuria illi facta per talem culpam, sine quâ satisfactione non potest illa expelli, nisi gratis remittatur.

De homine in puris naturalibus creato, Difficultas 1.

Circa præcedentem autem assertionem & doctrinam superidris sectionis superfluit nonnullæ difficultates. Prima est de homine creato in puris naturalibus, nam si in illo statu venialiter peccaret, posset à se expellere veniale peccatum, & non nisi per naturales vires, quia tunc non haberet locum gratia: ergo. Maior patet tum quia ille homo poterat facere actum tam bonum quam fuerat malus actus peccati venialis, & formaliter repugnantem illi: tum etiam, quia aliud peccatum veniale de se non minus esset perpetuum, quam mortale: quia si comparatur ad vires naturales hominis, vtrumque auferri non potest, & ita ex hac parte vtrumque est æternum: si vero ad vires gratie, vtrumque potest tolli & remitti. Deniq; confirmatur argumento Durandi, quia homo potest per vires naturæ mereri saltem de congruo bona temporalia, ergo & alterationem mali temporalis: sed peccatum veniale tantum est temporale malum: ergo.

Respondetur primo, non esse omnino eadem ratione de homine in puris naturalibus, & in hoc statu. Primo, quia nunc veniale peccatum includit aliquam in ordinationem à fine supernaturali, & eius remissio ordinatur ad beatitudinem supernaturalem consequendam: at vero in illo statu esset inordinatio à fine naturali. Tum etiã, quia alium modum, prouidentie habet nunc Deus cum natura humana eleuata ad finem supernaturalem, quam tunc haberet, nunc enim per gratiam supplet defectus naturæ: tunc vero alio modo accommodato illi statui prouideret illi. Secundò dicitur, etiã in illo statu non potuisse hominem per solas vires naturæ perfecte satisfacere pro culpa veniali, quatenus aliquo modo est offensua Dei: tum quia quidquid homo operatur, aliis multis modis est debitum Deo: vnde non tenetur illud accipere in satisfactione.

7
Quærendum
enim ad
rationem
factam.

Elucidat.

Paul.
Eusebius.

6
Cicero.

Salmos.

Resoluitur.

Solutio
resoluitur.

fectionem pro offensa: tum etiam propter improprietatem supra explicatam inter personam offendentem & offensam, quae etiam hic habet locum. Creditibile tamen est fore, ut in illo statu Deus remitteret veniale peccatum, contentus aliqua bona dispositione naturali hominis, non tamen sine aliqua liberalitate Dei, consentanea necessitati & fragilitati humanae naturae: & illa esset quodammodo gratia, quavis non proprie ad ordinem supernaturalem pertinens.

10. Relati-
bii enoda-
tur.

Vnde ad primam confirmationem simpliciter negatur sequela, quia peccatum mortale tollit principium spiritualis vitae, nempe gratiam & amicitiam Dei, & ideo in intrinseca ratione meretur aeternam poenam, nec relinquit intrinsecum principium, per quod possit auferri, ac destrui: ac vero peccatum veniale non destruit gratiam, & ita relinquit principium intrinsecum, per quod possit auferri, & de se non postulat aeternitatem poenae, quae secundum legem ordinariam, & (suo modo) ex natura rei non est simul cum diuina amicitia, quam peccatum veniale non tollit. Ad aliam vero confirmationem, quidquid sit de antecedenti, negatur consequentia, quia est aperta aequiuocatio in consequenti: potest enim homo mereri de congruo temporalia bona, scilicet, externa, quae pertinent ad commodum huius vitae: peccatum autem veniale non est hoc modo temporale malum, sed dicitur temporale, quatenus de se non est aeternum, tamen re vera est spirituale, pertinens ad bonum, vel malum animae, & aliquo modo ad beatitudinem supernaturalem consequendam, vel impediendam: & ideo non est similis ratio virtusque.

De remissione peccati venialis cum mortali coniuncti in futura vita. Difficultas 2.

11. Secundo ex eadem resolutione oritur dubium, quia ex illa sequi videtur, peccatum veniale in hac vita non dimissum puniri aeterna poena in inferno, si cum mortali coniunctum sit: consequens autem videtur falsum: ergo. Sequela patet, quia illa culpa venialis nunquam tollitur, quia mortalis non auferitur, & illa non tollitur sine hac: durante autem culpa, durat debitum poenae: ergo & poena, ergo erit perpetua. Falsitas vero consequentis patet, primo quia alias non erit discrimen inter veniale, & mortale peccatum quoad aeternitatem poenae: nam virtusque poena erit perpetua, si culpa perpetuo duret: potest autem utraque perpetuo durare: sicut etiam potest auferri, & temporaliter puniri, quod etiam utriusque commune est. Secundo, quia peccatum veniale non fit dignius poena propter coniunctionem cum mortali: ergo, si de se non est dignum poena aeterna, neque etiam propter coniunctionem cum alio erit dignum illa: ergo non puniretur poena aeterna, alias puniretur ultra condignum.

12. Scoti-
responsio.

Durandi
responsio.

D. Thom.
Palud.
Bonau.
Rich de
Media. vii.
Rich. de
S. Vi.

Propter haec & similia Scotus in 4. d. 21. quaest. 1. in hanc sententiam inclinatur, quod peccatum veniale etiam quoad culpam potest in inferno tolli, & fini-ri. Errauit tamen ut diximus in eo fundamento, quod non distinguit inter remissionem culpae venialis, & poenae. At Durandus eadem q. 2. inter haec differentiam agnoscens, alia distinguitur. Nam, si peccatum in hac vita non fuit remissum quoad culpam, fateatur illud nunquam in inferno tolli, quia nullum est medium, quo tollatur, cum ibi nullus actus bonus, quo veniale peccatum retrahatur, esse possit. Neque etiam ibi conferatur aliquod beneficium, aut auxilium gratiae, sine quo peccatum veniale remitti non potest ut diximus. Et in hoc recte dicit. Estque haec sententia communis D. Tho. Palud. Bonau. & vtriusque Rich. citat. locis. Quam etiam habet Bona, in 2. d. 42. ar. 2. q. 2. Et sufficienter probatur ratione,

A & obiectione facta. Addit vero Durandus, si peccatum veniale in hac vita dimissum sit quoad culpam, non vero quoad reatum poenae quoad illum posse in inferno solui ac fini. Sed in hoc eadem est quaestio de peccato veniali, & mortali quoad reatum poenae temporalis, qui post eius remissionem interdum manet: quae infra in materia de satisfactione tractabimus, & ostendimus contrariam sententiam, quae D. Tho. est, & communis, esse veritatem, quia reatus poenae etiam temporalis, apud Deum nunquam tollitur nisi per poenam voluntariam, & amabilem, ut sic dicam.

B Ad difficultatem ergo respondetur concedendo sequelam. Et ad primam impugnationem consequentis conceditur, esse quidem aliquam similitudinem, seu conuenientiam inter veniale peccatum, & mortale in his omnibus, quae in obiectione annotantur. Nihilominus est differentia, quia peccatum mortale ex se est aeternum, & dignum absolute aeterna poena, quia tollit principium vitae spiritualis, & auertit ab ultimo fine: peccatum autem veniale per se non est perpetuum, quia non auertit principium vitae, nec etiam auertit a fine ultimo: & ideo absolute non est dignum poena aeterna quantum est ex se, meretur tamen puniri quantum ablatum non fuerit: & ideo, si ex accidenti contingat nunquam auferri, ex eodem accidente eueniet, ut poena eius nunquam finiatur. Vnde facilis est responsio ad secundam impugnationem: peccatum enim veniale formaliter loquendo, non fit dignius poena propter coniunctionem cum mortali, sed est illa occasio quaedam impediens personam, seu constituens in statu, in quo non possit a se expellere culpam venialem: ex quo fit ut dignitas poenae quam culpa venialis secum auertit, semper duret, & consequenter ut poena etiam duret.

C Hinc vero oritur tertia difficultas, nam sequitur idem dicendum esse, de peccato veniali, si post hanc vitam cum solo originali coniunctum inueniatur, mirum fore perpetuum quoad culpam, & consequenter etiam quoad poenam sensus. Consequens autem videtur incredibile, alias talis homo in inferno damnatorum esset puniendus, quia poena aeterna sensus in nullo alio loco sustinetur. Propter hanc difficultatem inter alias negant multi posse veniale peccatum esse coniunctum simul cum solo originali. Quae fuit sententia D. Tho. in 1. 2. q. 39. ar. 6. quam eius discipuli sequuntur.

D Tribuitur etiam Alenii 3. p. q. 15. alias 65. mem. 3. ar. 4. S. Sed ibi ad penult. oppositum supponit. Et re vera fundamentum illius sententiae est creditu difficile, nimirum hominem peruenientem ad usum rationis non posse prius peccare venialiter, quam mortaliter: atque adeo puerum non baptizatum, neque illo modo in fide instructum, cum primum peruenit ad usum rationis necessarium aut iustificari, & interius illuminari per fidem charitate formatam, aut nouum peccatum mortale committere. Quod plane incredibile est, quia nec omnes causae necessariae ad iustificationem possunt moraliter loquendo, tam subito concurrere: neque etiam est aliquod sufficiens principium vnde ostendamus, vel tunc necessario futurum esse illud concursum omnium causarum, quae ad iustificationem necessariae sunt, vel ad peccandum mortaliter. Quia prima deliberatio, quae fit post usum rationis, potest esse circa materiam moralem bonam, non tamen ad iustificationem sufficientem: & eadem ratione potest esse circa materiam moralem malam: non tamen ad peccatum mortale sufficientem, sed tantum ad veniale. Omitto sententiam illam supponere praecipuum dilectionis Dei super omnia obligare pro primo instanti vsu rationis: quod sua speciale difficultate habet: praesertim ita restringendo illud instans, ut non possit aliquod breue tempus praecedere, in quo possit homo venialiter peccare, maxime ex aliqua surreptione, vel humana inadvertentia leniter culpabili. Denique licet demus in re esse tale praecipuum, potest facile ignorari inuincibiliter, & tunc peccari poterit venialiter circa aliam materiam.

13. Soluitur
difficultas.

14. Quid dicitur
de culpa
veniali
coniunctam
originali
Quorundam
responsio.

D Thom.
Alen.
Reicitur.

Propter

6
Responsio
Vindicta.

Propter quæ & alia multa, quæ in proprium locum remittimus, censo probabilius fieri posse, vt homo habens peccatum originale, peccet venialiter priusquam mortaliter. Quæ est etiam communior sententia Theologorum. Hinc etiam Palud. in 4. d. 16. q. 1. art. 1. nu. 22. & 23. admittit, posse aliquem decedere in peccato originali cum solo veniali. Respondet autem ad difficultatem negando sequelam, & paritatem rationis: quia ille, qui decedit in solo originali sine mortali, est capax voluntariæ detestationis, & naturalis contritionis, seu dilectionis super omnia: & est, inquit, *gratus Deo ad bonam naturam habendam, & ad mala peccati sensus euadenda*: quauis non sit gratus quoad habendam gloriam, & vitandam pœnam damni. Quod si vigeas, quia peccatum veniale non remittitur sine gratia: respondet in forma, sine gratia gratum faciente, negatur assumptum, solum enim est verum respectu eius qui mortaliter peccauit: Si autem gratia latius sumatur pro quacunque liberalitate facta naturæ, sic vera est assumptio, tamẽ hoc genus gratiæ etiam fiet homini in illo statu constituto, ad eum modum quo in prima difficultate dicebamus de homine in puris naturalibus.

16
Difficultas
circa
illam.

Quæ responsio probabilis quidem est, quia homo in solo originali constitutus quoad naturalia eodem modo se habere videtur, ac homo in puris naturalibus. Nonnulla vero est differentia quæ reddit difficilem hanc responsionem, quia homo constitutus in originali, est eleuatus ad finem supernaturalem, & ideo omne peccatum actuale eius est auerſio, aut retardatio ab illo fine: & ideo ad remissionem eius videtur necessarius aliquis actus respiciens aliquo modo illum finem, & consequenter procedens ex gratia supernaturali, saltem auxiliante. Deinde, qui est in originali, est vere inimicus, & dignus ira Dei, & ideo nullam gratiam, vel liberalitatem meretur: præsertim in eo statu, quando iam omnino disponi non potest ad illud malum euitandum. Denique illa sententia affirmat rem incertam, ex diuina voluntate pendentem, absque illa promissione, vel testimonio: & ex illa sequitur, etiam in hac vita posse hominem, si peccatum veniale habeat, cum solo originali coniunctum, illius veniam consequi absque gratia, & manendo in peccato originali: quia non est ratio, cur in futura vita possit hoc fieri potius, quam in præſenti: consequens autem potest improbari eisdem rationibus, quibus nostram sententiam probauimus. Fateor rationes has posse aliquo modo probabili dissolui, & ideo non relinquo sententiam hanc vt improbabilem, sed vt incertam, & minus probabilem.

17
Responsio.

Posset tamen aliter responderi, tali homini nõ remitti peccatum veniale per solâ actionem vel pœnam huius vitæ sine rigorosa pœna purgatorii: quia ad illud commutationis genus necessaria est gratia. Punitur ergo ille homo pro tali peccato veniali in futura vita pœna ignis, tamen illâ non patietur inuoluntariè, nec impatienter, sed recognoscendo & detestando naturaliter culpâ, & pœnâ voluntariè acceptando: ideoq; per talẽ pœnam tandẽ purgabitur peccatũ illud, atq; ita dicendũ erit illum hominem prius descendere ad purgatorium, & inde trãſire ad limbũ puerorum. Vnde Conc. Florent. in literis vniõnis, solũ dicit eos descendere ad infernum, qui in mortali peccato, vel in solo originali decedunt. Tamen hæc etiam expositio difficultatem habet ex eodem. Cõs. dicente, solũ illas animas purgari, quæ in charitate decedunt. Et eodẽ modo loquuntur Patres omnes de Purgatorio, vt infra videbimus. Vel constituta erunt duo loca purgatorii, vnum prouultis, aliũ pro his pueris: quæ etiam nouum est. Et præterea ignis non purgat culpam, sed pœnam, supposita remissione culpæ: culpa autem non remittitur sine gratia, nec sine dispositione supernaturali, nec in

Concil.
Florent.
Responsio
vniõnis.

A hac vita, nec in futura, vt probant omnia adducta.

18
Resp. 4.
Alenf.

Alia responsio sumitur ex Alenf. dict. art. 4. §. 1. ad penult. vbi primum ait impossibile esse vt aliquis decedens sine gratia, decedat in solo veniali. Vbi nõ intelligit (vt alii existimarunt) in solo veniali secludendo solum mortale sed simul etiã originale. Et sic est euidenter propositio secundũ præſentẽ rerum statum, quia carentia gratiæ nunc esse non potest per modũ negationis, sed priuationis: & ideo esse nõ potest sine culpa originali, vel mortali, nam sola venialis nõ priuat gratia. Vnde statim subdit, *si aliquis decedat cũ originali, & veniali, vel cũ mortali & veniali, promeretur pro veniali aliquantulum pœnã intensiorẽ, sed ratione coniuncti pœnã illa erit æterna*. Ex quibus verbis constat ipsum concedere sequelam, idẽq; iudicũ fere de veniali coniuncto originali, vel mortali. Quod clarius docuit Richar. 4. d. 45. ar. 1. q. 2. vbi & suppositione, & consequentione admittere videtur, & Cord. li. 2. q. 5. ad 4. Soto etiã ibi q. 1. art. 1. dicit, admissio illo casu, illũ hominem puniendum esse perpetuo in inferno propter peccatũ veniale. Et idem affirmat Ledesim. 2. q. 4. q. 71. art. 1. versus finem. Et fuit etiam sententia D. Thom. 4. d. 45. q. 1. art. 3. ad 6. & q. 7. de mal. art. 10. ad 8. Difficile tamen creditu est illum hominem fore puniendũ in inferno damnatorum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, & sociis eorum in modo culpæ, id est, in culpa mortali propria, quia non est verisimile hominem illum, qui tãtum venialiter peccauit fore obstinandum in malo, & ita esse cruciandũ, vt Deum odio habeat, videtur enim valde improporcionata pœna pro tam leui culpa. Et ideo fortasse detinebitur perpetuo in illo loco subterraneo, qui est limbos puerorum, & ibi aliquantũ cruciatiã patietur. Nam, cum hæc fiat perpetua tantum ratione adiuncti, debet dari cum proportione ad illud peccatum cui adiungitur: peccatũ autem originale non meretur illam societatem damnatorum.

Richar.
Cordub.
Soto
Ledesim.
D. Tho.

Quod si hoc non satisfacit, quia incertum est, dici potest ad prouidentiam Dei pertinere vt non permittat in eo statu illi decedere. quod certè videtur insinuasse Conc. Flor. suprà, distinctè ac præcisè numerando duos status descendendum ad inferna, scilicet, vel in actuali mortali peccato, vel in solo originali. Potest que ita declarari. Nam in primis hoc est consentaneum, moraliter loquendo, rebus ipsis: quia homo carens gratia, & sciens peccare, non potest multo tempore perseverare quin mortaliter peccet. Deinde, si intra illud breue tempus articulus mortis occurrat, tenetur ad Deum conuerti, & de suo sine vltimo deliberare, & quantum in se est in ordine ad hæc conuersionem facere. Nã, est ad hoc non teneatur statim in principio vsus rationis, quando alia necessitas non vrget, tamen periculo mortis urgente, semper tenebitur: & ideo, si faciat quod debet, verisimile est fore illuminandum à Deo vt iustificetur: si verò non faciat quod tenetur, iam peccabit mortaliter, & tunc procedet sententia D. Thom. sic limitata. Solum possunt excogitari casus, in quibus hic homo in originali constitutus, postquam venialiter peccauit, repentino euentu moriatur antequam possit aut conuerti, aut mortaliter peccare. Et hi casus sunt rarissimi, & faciliẽ credi potest Deum illos non permittere, vel ita hominum res & successus disposuisse, vt illi non contingant, quia noluit propter paucos homines, & culpas leues specialem locum, & modum æternæ pœnæ sensibilis destinare. Quod si tandem hoc etiam incertum esse dicatur, fatebimur in hac re solum esse certum, sine gratia, aut beneficio Dei non posse veniale peccatum tolli, in eò vero casu, non defuturum vel diuinæ prouidentię, quo illum hominem modum præueniat, ne in eo statu decedat, nisi velit aliqua dispensatione vri cum his, qui voluntate sua gratiam non amiserunt, neque illam iam recuperare possunt.

19
Aliaref. 2.
lucidatib.

Assertio

Afferio secunda.

²⁰ **D**ico secundo: Quauis remissio venialis peccati formaliter, ac per se non requirit infusionem gratiae habitualis, nunquam tamen fit sine infusione, vel argumento eius. Priorem partem expressè docuit D. Thom. in priori parte artic. 2. Et optime probat ratione ibi declarata, quia gratia habitualis, quantumvis intensa, praesertim quandiu est gratia viatoris, per se, ac formaliter non expellit illam: ergo infusio, vel intentio talis gratiae non est formaliter requisita ad remissionem talis culpa. Contra hanc vero partem sentire videtur Alens. dict. 15. vel 65. memb. 3. artic. 4. §. 1. quem ad literam secutus est Bonau. in 4. d. 21. in p. eius arti. 1. q. 1. Quorum fundamentum est, quia peccatum veniale aliquo modo scedat animam, efficitq; vt aequaliter Deo displiceat: omnis autem nota displicentiae sic enim inquit, *Decreuit nos sanare diuina misericordia*. Sed hoc vltimum, quod est totius rationis fundamentum, ab eis non probatur, sed supponitur. Respondetur ergo, sufficienter hoc fieri per motum gratiae, vel ad summum probari gratiam supponi, & vt sic in aliquo alio genere causae concurrere, vt iam declarabitur.

²¹ Posterior ergo pars conclusionis probatur, nam peccatum veniale, vt supra dicebam, remitti potest, aut simul tempore cum mortali, aut per se solum. Quando ergo prior modo remittitur, iam ex dictis constat non posse tolli sine noua infusione gratiae, quia non potest tolli sine remissione mortalis, & haec non fit sine infusione gratiae. Quia vero illa gratia per se repugnat peccato mortali, illud formaliter expellit: veniale vero concomitanter. In quo vero haec concomitantia consistat, vel vnde proueniat, statim declarabo.

²² Dubitari enim potest in primis circa hanc partem, an haec concomitantia perpetua ac necessaria sit, ita vt nunquam infundatur prima gratia remittens peccatum mortale, quin expellantur omnia venialia, quae cum illo coniuncta erant. Nam D. Thom. in posteriore parte articuli videtur id affirmare. Sed illum locum satis in commentario exposuimus. Et ex ibi dictis colligitur resolutio, scilicet, hanc concomitantiam non esse simpliciter necessariam, sed pro ratione dispositionis. Nam, si dispositio, seu contritio, ratione cuius infunditur gratia, talis est, vt vel formaliter, vel virtute vniuersaliter complectatur venialia peccata, semper remittentur in infusione gratiae, quia, si illa dispositio sufficit ad remissionem mortalis, multo magis ad remissionem venialis sufficit, quia iam homo facit quod moraliter potest, ac debet ad talem effectum. Si vero contritio est limitata ad sola mortalia, vel se extendit ad quaedam venialia, & non ad omnia (omnibus enim his modis haberi potest, vt ex supra dictis supponimus), tunc, licet infundatur gratia, non remittentur illa venialia, quae nullo modo sub talem contritionem cadunt. Probatur contraria ratione, quia homo ad illam remissionem nullo modo se disponit, neque auerit voluntatem suam à tali culpa: imò, quantum est ex vi talis contritionis, potest esse actualis complacentia in illo peccato veniali simul cum ea: ergo non remittitur tale peccatum. Probatur consequentia, cum quia remissio venialis & mortalis non sunt inter se connexa, vt est per se notum: nam potest quis esse in gratia, imò & consequi gratiam, dum actu peccat venialiter. Neque etiam sunt connexa in dispositione, vt supponimus, neque etiam est aliqua lex, vel promissio Dei de remittendis omnibus peccatis venialibus quoties infunditur gratia: ergo. Tum etiam, quia haec remissio

A debet fieri aliquo modo ex opere operantis (sic enim nunc loquimur, nam de remissione ex opere operato postea dicemus:) ergo requirit saltem dispositionem sufficientem ex parte operantis. Et declaratur, nam, si quis existens iam in gratia, & habens plura venialia peccata, doleat sufficienter de quibusdam, & nullo modo de aliis, remittentur quaedam, & non omnia: ergo à fortiori idem fiet in prima infusione gratiae, seruata proportione in dispositione ipsa.

Sed iam oritur secundum dubium, quomodo tunc concurrat gratia, gratum faciens ad remissionem venialium, quae simul cū mortalibus remittuntur. Cum quo est tertium dubium coniunctum, scilicet, an haec remissio gratis fiat, vel de condigno & iustitia. Tres namque modi excogitari possunt. Primus est, quod peccatum veniale formaliter, & quasi physice expellatur per ipsum meractum contritionis, & iuxta hunc modum infusio gratiae habitualis se habet quidem concomitanter in temporis duratione, ordine tamen naturae tanquam quid consequens & natura posterius. Et conceditur talis remissio fit gratis, in quantum auxilium ad illam datur gratis: postea vero habita contritione, nec proprie fit gratis, nec etiam ex iustitia, sed quasi naturali quadam necessitate, & in formatione ipsius contritionis, vel, vt ita dicam, necessaria reformatione, quam secum formaliter affert ipsa contritio. Haec vero sententia ex falso fundamento procedit, vt latius dixi in tom. 3. p. disp. 4. iterum attingam in seq. sequenti, & ideo illam omitto.

²³ Secundus modus dicendi esse potest, supposita praedicta suppositione, quae ordine naturae antecedit remissionem vtriusque peccati, Deum simul etiam natura remittere vtramque culpam, mortalem, & venialem, infundendo gratiam, ex ea lege vniuersali, quia ita tunc remittere homini omnem culpam, ad cuius ablationem sufficienter se disponit, vnamquamque secundum modum illi accommodatum, scilicet, per formam intrinsecam vbi necessaria est, vel sine illa vbi necessaria non est: & quia illa dispositio aequè complectitur vtramque culpam, & sine vllò ordine naturae inter ipsas, ideo simul etiam conceditur vtriusque remissio sine vllò ordine earum inter se. Et haec est ratio concomitantiae, quae tunc est inter infusionem gratiae, & remissionem venialis peccati. In qua (iuxta hunc explicandi modum) nullà causalitatem habet circa remissionem peccati venialis, sed solum coniunctionem, quia neque est forma, nec dispositio prauiua, sed concomitans, nec principium efficiens ipsius contritionis, vt suppono. Ac denique iuxta hunc modum remissio venialis peccati tunc gratis datur, id est, sine merito, vel satisfactione de condigno, quia nec ordine naturae, nec tempore supponit personam gratam, sed simul omnino cum ipsa gratia conferitur: & ideo, sicut gratis datur, ita & haec remissio, quia ante gratiam sanctificantem nulla ratio iustitiae, nec meritū, aut satisfactio de condigno in nobis esse potest. Atque hic dicendi modus est satis probabilis.

²⁴ Tertius tamē esse potest, stante dispositione praedicta, Deum prius natura infundere homini gratiam suam, & constituere illum amicum & immunem ab omni culpa amicitiae contraria: deinde vero propter eandem contritionem iam gratia informatam remittere culpam venialem. Iuxta quem modum, licet infusio gratiae, & remissio venialis peccati in duratione temporis concomitanter se habeant, tamen ordine naturae gratia antecedit, & est causa talis remissionis, non quidem formalis, sed moraliter effectiua, vel potius dignificatiua illius actus, per quem talis remissio comparatur, nam sanctificatio personam moraliter dignificat, & informat contritionis actum. Quo tandem fit, vt iam illa remissio venialis peccati non gratis fiat, sed ex iustitia,

²³ Quomodo tunc concurrat gratia ad remissionem venialis. Primus dicitur modus.

²⁴ Improbatur.

²⁴ Secundus modus.

²⁵ Tertius modus.

Alens. & Bonau. contrariū tenentes improbantur.

²¹ Probatur secunda pars conclusionis.

²² Dubium I. de concomitantia remissionis venialis peccati cū infusione prima gratiae.

iusiitia; quia illa contritio sic informata, iam est satisfactoria & meritoria de condigno posteriorum effectuum. Quae omnia optime inferuntur. Solum oportet reddere rationem illius primi fundamenti, scilicet, quod sit aliquis ordo naturae inter remissionem peccati venialis, & mortalis. Haec autem reddi potest, vel ex parte ipsarum rerum, quia secundum ordinem naturae prius est rem substantiialiter fieri, postea perfici: & ideo prius natura constituitur amicitia divina, quam tollantur maculae eius: nam hoc perit ad perfectionem accidentalem eius. Et in hoc est magna differentia inter peccatum mortale, & veniale: nam remissio mortalis culpa est, ut ita dicam, de substantia amicitiae divinae: & ideo quantumvis ordine naturae, vel rationis potius praetelligatur infusio gratiae remissioni peccati mortalis, non intelligitur persona plene sanctificata, neque capax meriti, aut satisfactionis de condigno. Quod secus est in culpa veniali, nam, cum illa potest esse persona vere sanctificata, & sufficiens ad merendum & satisfaciendum de condigno: & ideo eius remissio est quasi accidentaria, atque adeo simpliciter natura posterior in prima hominis sanctificatione. Vel etiam potest reddi ratio ex parte Dei, qui, ut perfectiori providentia omnia conferat, id tantum gratis remittit, quod homo mereri non potest in his, quae ex opere operantis remittit: & ideo voluit in hac remissione servare illum ordinem, qui simul iustitiam cum misericordia coniungeret, quantum fieri posset. Atque hic modus est etiam satis probabilis: & vnicuique liberum esse potest alterutrum ex his duobus eligere. Mihi tamen hic ultimus magis arridet, nam est conformior divinae providentiae: & Deus simul in illo se ostendit fidelem, & iustum, remittendo peccata ut loan. dixit.

Quid dicendum quando veniale per se solum remittitur.

46 **S**uperest dicendum de altero membro, quando veniale per se solum remittitur. De qua remissione iam dictum est necessario supponere in persona gratiam gratum facientem, a qua non expellitur formaliter, cum contingat esse simul, potest tamen dici expelli effectiue, quia ab hac gratia proveniunt actus, per quos talis remissio comparatur. Et ab illa etiam habent illi actus rationem meriti, vel satisfactionis condigne, ut illa remissio de iustitia obtineatur, iuxta ea quae tradidimus in citato loco 1. to. Rursum dubium non est, quin ille actus, per quem peccatum veniale tollitur, secum possit asserere augmentum gratiae, cum illud mereatur, quando quidem est bonus, supernaturalis, liber, & a persona grata. Difficultas vero est, an hoc augmentum gratiae semper fiat, quando fit talis remissio venialis peccati, esto non requiratur per se ac formaliter propter illa. Et de contrario etiam queri posset, an quoties augetur gratia remittatur peccatum veniale, quod erat in tali persona. Videri enim posset, ita esse necessarium, quia, si ille sit sanctior, & magis amabilis Deo, etiam fiet purior ab omni macula, qua possit Deo displicere. Sed quoad hoc posterius certum est, illa duo non semper esse coniuncta, quia ex infusione gratiae non sequitur per se ac formaliter expulsio venialis peccati, ut ostensum est, quia post gratiam sic intentam potest simile peccatum veniale de novo commissum, simul cum illa esse ac permanere. Neque etiam cum illo augmento gratiae est necessario coniunctus aliquis actus, qui sit in composibilis cum peccato veniali, aut sufficiens dispositio ad remissionem eius: nam potest peccatum veniale, v.g. esse mendacium leue, & augmentum gratiae fieri per actum elemosinae, qui nullam proportionem habet ad remissionem illius culpa. Nec bene inferitur, si persona sit gratior intensius, etiam fieri puriorem quoad omnes maculas; nam

A haec sunt res diversarum rationum, quae neque inter se, neque in aliquo tertio habent necessariam connectionem. Qui autem dicunt, gratiam & charitatem extra sacramenta, ut loquimur, nunquam augeri nisi per actum intensioris charitatis Dei, apparenter dicere possent, quoties augetur charitas, remitti veniale peccatum. Sed neque illa sententia nobis probatur, neque etiam consecutio est formalis, aut simpliciter necessaria, ut ex dicendis in sequenti sectione magis patebit.

In altera vero comparatione discipuli D. Thomae communiter sentiunt remissionem peccati venialis in homine iusto non esse semper coniunctam cum augmento gratiae: quia potest aliquis actus bonus esse sufficiens dispositio ad remissionem venialis peccati, & non ad augmentum gratiae, ut patet in actu contritionis de peccato veniali, qui sit remissior quam gratia, nam per se, & ratione suae entitatis est sufficiens dispositio ad tollendum peccatum veniale, ut supra dictum est de contritione respectu mortali, quod maiorem vim habet respectu venialium. Et tamen propter remissionem non erit sufficiens dispositio ad augmentum gratiae, etiam si mereatur illud iuxta doctrinam D. Thomae 1. 2. q. 112. art. 8. ad 2. qui plane ita sentit hic ad 2. ubi, ut ostendimus, loquitur de infusione gratiae etiam pro augmento, & negat fieri per omnem actum poenitentiae virtutis, per quam tollitur peccatum veniale. Et ita etiam opinatur Paludanus in 4. dist. 16. quaest. 1. artic. 2. Et

C haec opinio procedit consequenter. Nam distinctio, qua utitur Soto supra de gratia in esse gratiae, vel in esse qualitatis, dicens priori modo semper augeri, cum peccatum veniale remittitur non autem posteriori modo, neque est consequenter tradita, nec satis probabilis: tum quia esse gratiae nihil aliud est quam esse specificum illius qualitatis: repugnat ergo augeri in esse gratiae, & non in esse qualitatis. Tum etiam quia actus remissus ita est dispositio ad augmentum gratiae in esse gratiae, quam in esse qualitatis.

Quia vero probabilius credimus, per omnem actum meritorium augmentum gratiae, statim gratiam augeri, absque alia dispositione, praeter ipsum meritum, & capacitatem merentis secundum statum vitae in ordine ad tale praemium: ideo probabilius credimus, quoties homo iustus ita operatur, ut remissionem venialis peccati obtineat, semper etiam obtinere aliquod augmentum gratiae, quia in tali actu semper sunt omnes conditiones necessariae ad meritum talis augmenti. Nam est ab homine grato, ut supponitur: & est bonus, & liber, ut per se notum est: & est etiam aliquo modo supernaturalis, ut sequenti sectione ostendemus: ergo habet omnes conditiones necessariae ad praedictum meritum, quia non requiruntur plures ex parte merentis, ut constat ex materia de merito.

SECTIO III.

Quis actus poenitentiae sufficiat, vel necessarius sit ad remissionem venialis peccati.

In hac quaestione sermo est de remissione venialis solius, seu per se, quae iuxta dicta solum habet locum in homine iusto: nam de remissione venialis simul cum mortali iam satis dictum est. Agimus etiam de remissione ex dispositione, seu opere operantis: nam si fieri potest ex opere operato, quid tunc requiratur, dicam in sectione sequente. Demique supponunt omnes ad hanc remissionem aliquid requiri ex parte hominis, praeter cessationem ab actuali peccato veniali, tum quia hoc postulat ratio iustitiae & providentiae divinae, tum etiam quia alias nunquam

Probatur.

27 An semper augetur gratia cum veniale remittitur Thom. staturum opinio.

D. Thom.

Palud.

Soto.

28 Vera sententia asseritur.

Sensu quaestione.

M